

LVNÆ DIE 16 M. OCTOBRIS A. 2017

A.d. XVII Kal. Novembres a. MMXVII

200

M E L I S S A



FASCICVLVS
BIS CENTESIMVS

FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ

SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS

Gaius Licoppe

REDACTRIX

Francisca Deraedt

Rue des Aveugles, 14 A, B - 4210 Marneffe.

Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / www.fundatiomelissa.org

Bureau de dépôt : 4210 Burdinne - n° d'agrément P912128

Celebrandus est natæ nostræ *Melissæ* fasciculus ducentesimus. Quisnam tantam longævitatē prædicere ausus esset, cum ante 34 annos hoc periodicum timide condidi? Latinus enim discipulus eram doctoris P. Cælestis Eichenseer, cuius statura eminebat in orbe tunc florenti Latinitatis vivæ. Magna fuit temeritas mea, tempore quo Mentor meus copiosum periodicum Latinum, *Vox Latina* inscriptum, scite edebat.

Consilium periodici condendi ortum est anno 1983 in nostro incipiente Circulo Latino. Iuvenis quidam particeps, qui tunc temporis philologiæ classicæ studebat in Universitate Libera Bruxellensi, hoc consilium edidit ac suasit ut symbolæ novi periodici de sola philologia tractarent. Ipse quidem nondum cogitaveram de huiusmodi proposito, sed putabam rem, si fieret, utilius destinatum iri omnibus Latinitatis vivæ cultoribus, tractatis variis argumentis, etiam recentioribus necnon cottidianis.

Mihi soli, iuvante familia, facultas erat hoc propositum exsequendi. Volui aliud genus periodici creare, frequentius quam *Vocem Latinam* editum, i.e. non quater in anno sed sexies, quo sæpius Latinitatis vivæ fautores aliquid Latini in manibus haberent, quo de eventis orbis Latini citius fierent certiores.

Sine mora primus fasciculus in lucem editus est die 2 m. Aprilis anni 1984, sive more antiquo a.d. IV Nonas Apriles MCMLXXXIV. Iuvenis consilii editor volebat solum antiquum modum temporis notandi adhiberi, quod mihi visum est ineptum; Latinitas enim non est in sola Antiquitate includenda, contra demonstranda est continua accommodatio linguæ Latinæ novitatibus decursu sæculorum, respecta grammatica classica, quo miraculo fit ut nos Ciceronem legere valeamus et ille, si quando ex Inferis ad nos veniret, scripta nostra intellegere posset.



Primus fasciculus constabat e quattuor tantum paginis, quas implebant scripta sodalium nostri Circuli Latini. Prima pagina signis et verbis scopum periodici

indicabat.

Titulus MELISSA pulchris Romanis litteris quadratis quasi incisus erat in magno lapide certe marmoreo, quamquam hoc patefieri non poterat. In superiore lapidis margine posita erat apicula, *Melissæ* signum. «Ad Lectores» scripsi hæc: «Propositum nostrum est consuetudines cum hominibus quam plurimis iungere ut Latinitatem vivam hodiernam inveniant.» Et sub textus finem: «Cum nomen sit omen, commentariorum periodicorum nostrorum nomen erit *Melissa*. Hoc signum quod invenitur in hieroglyphicis litteris, nobis oportune videtur cum *Melissa* coniungendum, ut meminerimus radices cultus civilis nostri ad antiquissimos Ægyptios descendere. Melissa Græce significat apem. Quod Græcum nomen consulto elegimus. Nam etsi nobis propositum est commercium Latinum instituere, oportet tamen semper meminerimus neque linguam Latinam, neque cultum civilem nostrum seiungi posse a litteris Græcis.»

Filia mea Diana, quæ ad finem studiorum philologiæ classicæ pervenerat, mecum cooperabatur et *Melissæ* «editrix responsalis» facta est.

Iam in secundo fasciculo erant octo paginæ; nuntiabatur etiam supplementum quattuor paginarum, *Melissa iunior* inscriptum, in tertio fasciculo editum iri. Has paginas curaverunt Francisca Deraedt, philologa classica, et ipsa Diana, ambæ inscriptæ supplementi redactrices. Proposuerunt simplices narratiunculas vel excerpta Phædri fabularum imaginibus illustrata. Ut paginæ discipulis attractivæ viderentur, charta erat colorata, viridis in primo fasciculo, aliis coloribus in insequentibus.

Crescente materia edenda, quartus fasciculus constitit e duodecim paginis, quibus addebantur quattuor flavæ supplementi.

Solebam exemplar singulorum fasciculorum ad Cælestem Eichenseer mittere petens ut textus corrigeret, id quod diu diligenter fecit. Non tamen multum ei placebat inceptum meum; diu ei solacio fuit dicere hæc folia solum ad adulescentes pertinere; tamen optimi scriptores gradatim effecerunt ut *Melissa* agnosceretur ut verum periodicum Latinum.

Anno 1985 in fasciculo nono nuntiatum est magnam symbolarum partem iam ordinatō tractatam esse; modo enim emeram primum ordinatum domesticum generis *Macintosh*. Nesciebamus hoc esse initium novi ævi, informatici scilicet, cuius iteratæ inexpectatæque inventiones hominum vivendi modum valde mutaturæ essent. In symbola, qua rem nuntiabam, scribebam hoc: «Fieri non potest quin impediamur aliquid nuntiare deficientium vocabulorum causa! Quare in hoc

nuntio utemur nonnullis verbis, quæ fortasse nondum plane comprobata sunt sed tamen satis bene intelliguntur.»

Ultimum supplementum *Melissa iunior* idemque undecimum insertum est in fasciculum 13. Eius loco postea per continuas partes divulgata est historia depicta et nubeculata, quæ erat summarium pelliculæ cinematicæ de Plautino *Rudente* mea cura anno 1983 confectæ.



Inclusis quattuor supplementi paginis periodicum tunc constabat e sedecim paginis et sic mansit usque nunc.

In fasciculo 23 die 7 m. Martii a. 1988 edito aspectus tituli mutatus est, ope ordinatri confectus; lapis disparuit atque apicula nunc posita est in *Melissæ* littera 'I'.

Anno 1990 filia Diana, matrimonio interea contracto, urbem Bruxellas reliquit. Francisca Deraedt tunc inscripta est foliorum compositorix.



Anno autem 2001 incohata est magna aspectus mutatio. Alexander enim Vanautgaerden, rector Musei Domus Erasmianæ recenter factus, historiæ

artium elegantiumque editionum peritus, qui scite curabat magnam pretiosissimamque bibliothecam librorum sexti decimi sæculi, opportunam cooperationem nobis proposuit. Eius ergo beneficio tota *Melissæ* scæna est mutata. Instabat tunc centesimus fasciculus mense Februario anni 2001 publicandus; hac occasione data periodicum nostrum vestem elegantiozem induere potuit, ac novus typographus prelo electronico novatam *Melissam* edidit, qualem adhuc apparet, charta subflava, pulchris litteris magisque dilucidis imaginibus.

Aspectus frontis fasciculi 100 (19 m. Febr. 2001) quoque mutatus est; in titulo Romanæ litteræ quadratæ servatæ sunt, sed iam non linea rectiangula circumdatæ; apicula, quam non multum amabat musei rector, sed quam ipse omnimodo servare volebam, migravit in paginæ angulum dextrum et inferiorem. Hic locus statim visus est ineptus, quare iam in fasciculo insequenti apicula iterum migravit ac posita est in fasciculi tergo, ubi usque nunc ostenditur.

Sub locutione «folia perenni Latinitati dicata» additum est «auspiciis Domus Erasmianæ». Fasciculi perrexerunt usque nunc e sedecim paginis constare; quæ condicio re vera pertinet ad sumptus cursuales.

Cum anno 2004 Academiæ Latinitati Fovendæ sodalis essem creatus, Præses Tuomo Pekkanen petivit ut in eadem fronte adderetur «auspiciis Academiæ Latinitati Fovendæ», id quod primum in fasciculo 124, mense Februario anni 2005 edito factum est.

Plura de recentioribus fasciculis non sunt dicenda, quippe qui a lectoribus nostris sint satis noti. Hoc tamen notandum est, quod scriptores fiunt rariores; antea frequentes scriptores, qui neque philologi neque Latine docentes erant, sed verbi gratia ingeniarum vel medici, ad nos mittebant attractivas symbolas Latine bene, quin etiam optime scriptas; rari infelicitate fiunt huiusmodi homines propter ruinam scholaris institutionis...

Satis multi commentarii nunc tantum interretialiter divulgantur; nos quidem iuxta proverbium hoc habemus pro certo: virtualia volant, scripta manent. Pergemus ergo, pro viribus nostris, hoc opus in lucem edere cum omnibus, quibus cordi est vita linguæ Latinæ. ☺

DE EVROPÆ LATINÆ CONVENTICVLO VITERBIENSI

– refert Antonius Antonioni –

Nuper cum in viæ ferratæ statione versarer apud oppidum Attilianum sita, quo descenderam Florentia devectus, ibique alterum tramen opperirer Viterbium petiturus, contigit ut in magno illius loci silentio ac solitudine voces audirem duorum adolescentium, disertissime et familiarissime inter se sermocinantium Latine. Quos statim, ignotos licet, compellavi: Nempe vos quoque ad conventiculum illud!



Erat enim iste conventus ab illo die, qui fuit pridie Kalendas, usque ad Nonas Augusti, e consilio operis fundati cui nomen Europa Latina in ædibus lycei classici Viterbiensis celebrandus, moderantibus Iosepho Marcellino eiusdem operis præside et Paulo Pezzuolo, qui quidem unus erat eorum adolescentium mihi Attiliani obviorum; alter autem, et ipse nomine Paulus, natione Bavarus. Quibuscum una igitur, Viterbium cum pervenissemus, alios egregii huius facinoris participes in deversorio convenimus, Paulum tertium Hispanicum, Cosimam Berolinensem, Brennum Americanum, ceterosque omnes Italos, Ioannem et Claudiam coniuges, Aloisiam, Conceptam, Carolam, Gabrielem, Ivanam, Mariam Bericam, Mariam Piam, Myrtam, Taniam. His tertio demum die Ioannes Carolus Rossi se adiunxit, clarissimus ille orator et scriptor Latinus.

Fuerat conventiculum nostrum ea mente indictum, ut Latinarum litterarum studiosis quibuslibet, sive magistri sive discipuli essent, opportuna daretur occasio cum de nobilissimis Etruscorum Romanorumque antiquitatibus, tum etiam de rebus posterius in ea regione Italiæ gestis, colloquendi, ita ut participes perpetuo ac fere sine intermissione Latine loquendi et scribendi facultate exercerentur: curabant quippe moderatores conventus ut ad eum finem scholæ, peregrinationes, ceteraque omnia per illos dies instituta nonnisi sermone haberentur Latino.

Atque scholæ quidem in ipso ut dixi lyceo, mane plerumque, celebrabantur; ubi nos humanissime excepit Maria Gratia Palombi ornatissima eiusdem lycei magis-



tra, quæ etiam in peregrinationibus omnibus comitata est nos de rebus Viterbii et Tusciæ scitissime admonens. Quæ itinera plerumque post meridiem fiebant. Tarquinius lustravimus, cum sepulchra illa magnificis picturis distincta tum museum illud invisentes, monumentis Etruscorum instructissimum; Tuscaniam, villam Balneariæ, in ipsa autem urbe ædes summorum Pontificum, ecclesiam cathedralem, museum publicum, ædes Priorum, arcem Albornotianam.

Est Viterbium urbs amœnissima, in pluribus collibus posita quasi altera Roma, verum ipsa non originis antiquæ: namque quamvis veteribus circumsæpta eisque celeberrimis sedibus Etruscorum (ut fuerunt Tarquinii, Vulci, Volsinii, Cære, Falerii) ipsa quidem medio demum ævo condita est. Quam rem ægre ferentes quidam, qui tempore renatarum artium et litterarum immoderato antiquitatis omni amore flagrabant, inscriptiones statuasque suppositas ut genuina Romanorum, Græcorum, Etruscorum monumenta venditantes, antiquissimam urbis quisque suæ originem (nam et Ferrariæ in patria mea, et fortasse alibi, idem postea factum est) demonstrare satagebant. Talium falsiorum facile princeps fuit Viterbii sæculo exeunte XV Ioannes quidam Nanni frater ordinis Prædicatorum, qui Romano more sibi Annium cognomen imposuit; cuius aliqua de his rebus scripta in conventiculo nostro legit Aloisia. Ex quibus pauca hæc verba ut hominis audaciæ testimonium satis esse censeo: «...proficiscemur ad emendationem chorographiæ totius nostræ Tusciæ. Adeo enim cosmographos vitiarunt scriptores atque impressores, ut iam pudeat et tædio sit legere præcipuos eorum, Ptolemæum, Strabonem et Plinium», utpote qui videlicet nullam de Viterbio iniiciant mentionem!

Sed media quidem ætate tantopere hæc urbs floruit, ut sæculo XIII etiam Pontificum Romanorum sedes per multos annos extiterit. Eius autem fama in toto terrarum orbe increbuit propter celebritatem



nominis Sanctæ Rosæ, eodem sæculo ibi natæ annumque agentis duodevigesimum mortuæ. Cuius virtutis ac miraculorum memoriam Viterbienses magnificentissima imprimis pompa honorare consuevisse notum est, qua machina altissima affabre extracta, campanariæ turris instar, per vias vel angustissimas urbis circumvehitur a centum baiulis, die incidente anniversario ex quo Rosæ corpus iussu summi Pontificis ad monasterium Clarissarum solemniter translatum est, quod viva intrare præ infirma valetudine vetita erat. De his nobis rebus rettulit Claudia, quæ vitam Sanctæ anonymam eodem sæculo conscriptam cum prælegisset, partem eius quæ deest postremam nos serio iocove pro suo quemque arbitrio supplere iussit; qua in re risum omnium movit Paulus conventiculi magister, personam induens præfecti Viterbii, hæretici perditissimi, truculentis verbis innocentissimam virginem parentesque eius ex urbe crudeliter eiicientis, nivibus hiemalibus expositos.

Ioannes Carolus vero, qui optatissimus tandem ut dixi supervenit, de Pii II summi Pontificis operibus

egit ex iisque locos legit selectos, ubi inter alia memoratur Viterbium; qua in re cum mentionem astrologiæ divinatrici ab auctore fieri videremus, proposuit Claudia ut data hac occasione iuxta morem et antiqua et media ætate servatum, quæstio, essetne hæc ars damnanda necne, rite institueretur in utramque partem disputanda. Præsentes igitur in partes duas numero quidem æquas, alteram defensorum, alteram accusatorum, secedere iussi pro suis quisque viribus dixerunt. Ioanni Carolo denique contigit ut ultimus defensor oraret: cumque rem videret vi et pondere argumentorum in damnationis partem admodum inclinatum, ab ipso iudice non ab re illius Ovidii versus commonefactus, «causa patrocini non bona peior erit», nihilominus tanto eloquentiæ flumine partem fulsit periclitantem, ut de exitu causæ denuo dubitari cœptum sit. Res adeo incerta non nisi per calculum Minervæ quemadmodum in Æschyli Eumenidibus decidi posse videbatur: Minervæque parte suscepta Maria Berica calculum tandem suum adiecit astrologis absolvendis.

Variæ etiam aliæ res quanquam ad Viterbium non spectantes in conventiculo tractatæ sunt. De duobus itineribus sermo est factus, quorum alterum revera habitum, alterum mente tantummodo fictum esse constat. Paulus quidem Hispanus Shackletonii lustrationem Antarctidis anni 1914 enarravit; Maria autem Berica locos legit ex Itinere subterraneo Nicolai Klimii a Ludovico Holberg scripto.

Prosperissimo igitur conventiculi nostri successu in magnam spem erigimur, posse item et alias e consilio foundationis Europæ Latinæ, huius linguæ studiosis tam discipulis quam magistris conveniendi atque humaniter sermocinandi facultatem certis dari temporibus. ☺



NEXVS CAVSARVM

– scripsit Iohannes Franciscus Arnoud –

Stridulo sibilo audito, Paulus Canet repente de cogitationibus suis ereptus telephorum alicubi positum quærit, qui sonorum nuntii accepti signum agnovit. Litterulæ autem inscriptæ in telephoni fenestella repente se ostendunt, Paulusque, oculis igitur in telephono lucente defixis, ipse legit:

«*Si quid die Iovis vesperi v Idus Feb. agere voluisses, abstine. Domum, obsecro, eadem vespera cenatum venito! Te mecum cenaturum mea maxime refert. Vale. I.N.*»

Ivo ille Nadeau id epistolion simul imperiosum ac supplex Paulo miserat.

Uterque autem, Paulus et Ivo, eosdem magistros easdemque magistras eisdem in ludis audiverunt, at, postquam pueritia exeunte studendi finem fecerunt, unusquisque suam viam secutus est; at nihilominus alter alterius familiarissimus mansit. Quo rectius dicam, tam pristina eorum amicitia erat, ut fratres potius quam eos libenter amicos crederes.

Paulus autem pro virili parte mercaturis faciendis rem quærere incassum voluit, cui enim ingenium officinæ vel fabricæ condendæ omnino deest, cum, sicut multi iuvenes, orsa sua, quæ Anglice *start up* appellant, instruere valde esset incitatus. Felix autem fuit olim Valeriam Planchet, quacum vitam communicare et grata animi tranquillitate frui potuit, convenire, quæ formosa puella pro honesta mercede publicis fungitur muneribus.

Ivo vero, sorte fatoque Pauli declinatis, in rebus scientificis inquirendis curat, qui etiam informaticus est machinator; neque verum ei tempus est amicæ inveniendæ, quippe qui mentis salebras quam illecebras corporis multo malit.

Die dicto, hora data, Paulus ad Ivonis ostium venit, cuius tintinnabulum digito pulsat.

«Intra! Ah, di boni, lagœnam vini attulisti? Tibi necesse minime erat. Te denique cenare vocavi.»

At repente maxime permotus Ivo Paulum, qui, dum per synœcium trahitur, lagœnam vini in mensa iam instructa naturali magisquam considerato impetu deponit, ab vestibulo ad tablinum propellit. Satis constat, benevole lector, Ivonem, cum de rebus suis aut inceptis aut perfectis at semper inquisitis loquitur, ad quandam volubilem prodigatam ac prodigam volubilitatem invehit, manibus peragitat – fama est Italos sic loqui – et brevibus interdumque crebris nutationibus ad sinistrum usque humerum.

Tablinum autem, – horrescit Paulus circumspiciens –, tanta turba dispergitur diffunditurque, ut nemo depingere possit, quam Paulus putat admodum cum scientifico Ivonis ingenio discrepare.

«Noli curare,» inquit Ivo, «quanta in turba vivere

videar, nam cella, ut confusio suppellectilis et cumulus librorum et chartarum demonstrat, ipsa vivit, atqui, ut pater mihi sæpissime dixit, *rudis indigestaque moles exspectat satorem.*»

Paulus anhelitum iam recipiens excusatione miserabiliore audita subridet.

Ivo vero, quasi fervidum impetum refrenet, amplo dexteræ manus gestu positum in mensula scriptoria designat computatrum. Quod instrumentum, quia haud stabile videtur, Paulus oculis lustrat hilarulis.

Ivo autem, cum in stridenti sella post mensulam sedet:

«Eccum novissimum,» inquit, «opusculum ex mente mea nuper natum...»

– Quod potes Minervam appellare, quæ etiam e capite Iovis nata est.»

Neglegens Pauli facetiam iuvenis alter severior æquo repente factus addere:

«Huic programmati, mi Paule, summam manum impositurus sum.»

Paulus cautissime Ivoni appropinquat, dum cavet ne catillorum ac poculorum copias libris et chartis coacervatis male libratis evertat.

«Cuinam vero,» inquit, «usui id programma tuum?»

Ivo amico interroganti superbe ac versu hexametro respondet:

«*Alea responsum nitidum ominis ultima ducit.*»

«Ecquid, Ivo, dicis? Quod omen? Quod nitidum responsum? Quæ ultima alea?»

– Obscure, mi Paule, et per figuras loquor. Revera oculos programmati inicis, quod anno et dimidio interiecto creavi, certissimus ille...»

At priusquam sententiæ finem facit, iuvenis informaticus machinator percussiones in tympano, more præconum nova spectacula denuntiantium, simulat, et post magna voce:

«...Nexus Causarum!» inquit. «Illud Programma! Creatum qua ex firma et simplici ratione: Qui causas rerum cognovit, earum effectus divinat.»

– Programma ad lectiones philosophorum aptum? Quin tu id venum das Michaeli Onfray?

– Nolo! Non tenes! Tibi affirmo satis esse causas colligere ut, programme adiuvante, certissime earum effectus obtinearis.

– Visne dicere hoc programma quid futurum sit divinare posse?

– Nolo. Revera ex causis effectus infert. Satis est adæquatas causas intus programma deponi, ut causarum effectus præbeat.

– Mihi dic, amabo, hoc programma tempestatem crastinam dabit?

- Dabit. Non difficile est, cui adæquata elementa novit. Iam ceterum programmata usus sum, ut me certiore faciat de tempestatibus futuris.

- Optime! Ecquid de... dicam, de equorum certaminibus?

- De equorum certaminibus?

- Scis, Ivo mi amice, me singulis Solis diebus de certaminibus equorum pignore contendere solere, etsi Valeriæ displicet. Programmata tuum alicuius certaminis equum inveniet victorem?

- At, Paule mi, Valeriæ valde displicet te nummos clanculum pignerare.

- Aliquando, Medius Fidius, satis meream, ut illa de sententia decedat.

- Bene est. Non nihil, Paule, abest, quin programmata iuvante optata prosperes. Puta, si materiarum copia programma nutrio, mihi licere ut certior fias qui equus curriculi victor sit. Iam tamen tantum equum victorem reperire possum, neque primos in ordine equos quinque edere, quia materiis, magisquam programma accipere potest, mihi opus sit. Fortasse id in posterum valebit, cum meliorem programmatis imposterum figuram.

- Quid? Credisne me tantum in te verbis tuis et specie tua fidere?

- Quin, mi Paule, programma experimur?

- Hac hora diei, Ivo, omnia curricula iam missa sunt, atque si equi victoris, qui hodie cucurrit, nomen mihi das, ego hoc nihili æstimabo. Non, Medius Fidius, verbis tuis credam.

- Quota hora est?

- Octava postmeridiana et sextans.

- Ergo Novi Eburaci nunc est eius diei secunda hora et sextans. Post tres horas et viginti minutas, interrete monente, cum illic quinta postmeridiana et dimidia hora erit, primum curriculum in hippodromo *Saratoga Springs* mittetur. Erunt equi tredecim, qui concurrent et quadrupedantes mille centum sex metra percurrent. Satis mihi est nunc programma materiis in interrete collectis nutrire. Deinde illud equum victorem designabit. Paulo ante mediam noctem, mi Paule, tum sciemus utrum ego nugator sim annon.»

Ivo inde claviscriptorii ope scribit ut programmatis lineas et sittybos materiis adæquatis moneat, qui novissimi equorum successus sint, qua ætate singuli equi sint, quo pondere, quo stadium habitu sit, quanti venti et unde spirent, quibus ætate et pondere sint equites eorumque palmæ et cetera. Dimidio horæ post:

«Heia!» inquit, «De materiis necessariis ad equum victorem cognoscendum programma certius feci. Agedum Paule, ope muris hic preme.»

Paulus tum electronicum murem timido digito agitat, ut orbiculum media fenestra positum muris sagittula premat - Pro certo habeo hæc verba informatica Ciceronis ab intellectu valde aliena esse - atque, aliquot scripulis temporis exactis, programma alicuius equi nomen edit, quod est «Nemo Moveat».

- «Ha!» inquit Ivo, «Nemo Moveat nomen est equo sub numero 9 currenti. Optime, post horam quartam, num is equus victor sit, in interrete videbimus. Nunc cenandum est!»


Tablino relicto, Paulus Ivonem in synœcium sequitur, ubi mensa frugaliter instructa est. Nam hic, (dico domi Ivonis) olus omne solum cenatur, ut quidam mos urbanus ac novissimus præscribit, carne admodum denegata prohibitaque. Quo in edendi more, ut docti et rerum naturalium periti ferunt, salus tam orbis terrarum quam generis hominum ponatur. Sed nimirum alia Paulus cogitat:

«Mea maxime, inquit, refert putare inter nos et Noveburacenses sex horas interesse. Cum nos hic Lutetiæ tempus est cenandi, illic Novi Eburaci operarii post prandium alteram operæ partem ordiuntur. Simul enim Lutetiæ octava hora postmeridiana ac Novi Eburaci secunda hora postmeridiana degitur. Mirum!»

- Minime gentium!, inquit Ivo, a rotunditate orbis et circulis meridianis proficiscitur, non opus est multis materiis ad hunc effectum inveniendum, quamvis sæculis præteritis minus materia quam animo virtuteque opus fuerit inventoribus huius rotunditatis, neque, ut arbitror, necesse est de hac philosophari. Utique ex hoc temporis intervallo consequitur ut programma statim experiri possim, neque in Gallia certamina equorum crastina exspectem.

- Ita est ut dicis, vesperi hodie enim paulo ante mediam noctem certior fiam an programma rectum sit atque verum asseveret responsum.»

Uterque postid conviva de his et aliis lente colloquantur vinique lagœnam exhauriunt, ut sine fastidio cenam ad multam noctem producant. Cum tandem illa hora adest, Ivo et Paulus aliquantulum curiositate capti ad computatrum cautissime redeunt, et ille læto, hic stupefacto animo, cum oculos in quadro monitorii visifico infingunt, comperiunt... equum numero 9 signatum victorem esse! Tum Ivo dicit: «Nemo Moveat ille equus vicit, ut tibi prædixeram. Programma meum præter expectionem optime fungitur divinatione. Ad summam puto hoc programma illud confirmare quod stoici recte ac merito de causis effectibusque dixerint.»



- «Nolo! Nolo! Nolo!» inquit Valeria iratior in Paulum suum. Illa puella, viginti et quattuor annos nata, procerā et formosa et mobilior in consiliis capiendis, præter ea quæ ad pecuniam pertinent, biennium cum Paulo convivit.

«Sed, meum corculum,» inquit Paulus, «tantum nummuli sunt.

- Quid? Mille euronēs, nummuli! Garris. Nolo pecuniam meam pericliteris, dum de certaminibus equorum pignore contendis. Nolo! Nolo! Nolo!»

Valeria, ut supra commemoravi, in officio publico rem quærit et inde menstruas honestasque mercedes accipit, adeo ut, gloriola virili Pauli demissa, illa mera coniugii patrona sit. Nam, sicut in fabula, Valeria est formica, cum Paulus cicada sit, quippe qui semper cœptet, numquam perpetret. Ex quo sequitur ut Valeria rebus domesticis et arcæ coniunctæ sit præposita.

«Linguæ fave!» inquit Paulus. «Tace, tace, mea Valeria mellita, et mihi ausculta! Maximæ res dicendæ sunt.

- Tibi nihil pecuniæ meæ dabo! Noli pergere. Operam perdis.

- Ah! Mihi ausculta! Nudius tertius cum Ivone cenavi et peritus ille vir informaticum programma instruxit. Quod programma nomen equi victoris edit neque fallitur.

- Nihil fallacius quam informaticum programma...

- Sile, meum corculum! Obsecro. Pro certo id habeo, quia id vidi. Audisne? Id revera his oculis meis vidi...

- Maluerim meis quam tuis fidere oculis...

- Ausculta priusquam obloquere! Bene scio te vigilantem oculum habere... At ad rem ut redeam. Cras, Solis die, in hippodromo Vilcennensi inclutum equorum certamen erit. Iam scio nomen equi victoris. Ivonis programma id dedit. Mille euronēs...

- Mille euronēs qui mihi sunt! Memento! Visne peream?

- At, Valeria mea, pauper sum et inde tanta pecunia mihi omnino deest. Ah, Valeria mellita mea, mihi ausculta! Tibi, Medius Fidius, mille euronēs tui redibunt. Peream ego, nisi fidem conservabo.

- Id dixisti quod recte audivi.

- Ah! Eos euronēs mihi mutuos da! Quos, mi corculum, creditos tibi reddam!

- Omnesne ad unum?

- Ad unum! Mihi crede. Præterea non tantum illud mille redibit, sed etiam cum multis amicis... cum maxima amicorum copia. Agedum, cogita! Non queo tantam fortunam dimittere! Non solum victorem equum scio, sed etiam scio quanti æstimetur. Equus autem

pignus centuplicat qui in hoc equorum certamine, scio, palmam victurus est. Tenesne? Si mille euronēs pignori opposuero, centum milia euronum merebo. Tibi mille euronēs tui reddam, mihi crede, et reliquos mecum servabo. Noli timere, nam programma Ivonis est certius certissimis!

- Nescio qua de causa, sed res claudicare mihi videtur. Qua enim re ille Ivo te voluit programmatis testem esse?

- Illum a pueris novi. Quasi fratres germani omnibus videmur. Æquum est illum mecum felicitatem ac fortunam secundam suam communicare. Est, ut opinor, fratris ita agere.

- Certe, sed frater tuus non est. At cur programma tuo non utitur ut ipse lucrum faciat? Quare te socium inventionis facit neque ad proprium usum hoc programma reservat? Aliquid fraudis olfacio.

- Nimis es suspiciosa, fraudemque frustra ac inique suspectas. Primo Ivo cupiditate utilitateque admodum alienus est, qui primum omnium artem gratia artis colit. Nihil facit lucri causa. Hoc enim programma, per eam si mentiar! quasi filius eius est, nec via ad lucrandum. Magis ad philosophicum stoicorum præceptum respondere ille vult, quam Cræsus fieri, a quo præterea programma nomine «Nexus Causarum» appellatur. Ego vero, Valeria mea, ego non tam neglegens rerum mearum sum quam ille.

- Recte dicis. Totus tu ex arca videris. Nihil cogitas nisi pecuniam.

- Cui pecunia plus deest, is plus desiderat. Plenus sacculus est aranearum... Ne mille quidem euronēs habeo! Ex quo fit ut, mellita Valeria mea, hoc mille maxime quæritem.

- O mi Paule paupercule!

- Desine deridere! Iovem lapidem, serio dico.

- Perge, Paule mi, agedum perge!

- Deinde ac postremo, ille mihi roganti nomen equi victoris in certamine crastino dedit. Bene dixi: mihi roganti. Nulla inde fraus est apud Ivonem. Ego vero equum victorem novisse volebam, quem, programme agitato, mihi dedit ille. Sine mala malitia.

- Ut recte dicas et Ivonis programma non fallatur, nihilominus mille euronēs tibi mutui sunt dandi...

- Qui, memento mea Valeria mellita! centuplicato crescere possunt. Quod si tu essem, hos nummulos crederem. Fortuna audaces iuvat.

- Attat, mi Paule, insana non sum, quæ tibi mille euronēs sine fenore credam. Dicis enim hoc mille euronum centum milia geniturum esse, at tamen mihi mille euronēs reddes, quos tibi crediderim. At, nisi fallor, tu egens pauperque qui nullum nummum habes,

post equorum certamen actum, centum millia euronum habebis, ex quibus mille tantum mihi reddes? Memento, mi Paule, centuplex nihil est nihil. Ergo, si ex me mille euronos accipere vis, dimidium lucri reddes. Neque quæstuosa sum, neque fenore iniquissimo nummulos meos tibi dedi.

- Dimidium! Sed tantum quinquaginta milia euronum mihi reliqua erunt?
- Aut dimidium, aut nihil.
- Optime! Dimidium.»



Valeria et Paulus in hippodromum Vilcennensem adire constituunt, quia simul Solis die quieta, quamvis interdum nubilet atque levibus imbribus iter faciant, simul equorum concertantium spectaculo frui volunt. Valeria, fenestra rædæ madenti, suspirans dicit:

«Væ! Humida herba erit.

- Et hac fœda tempestate Ivo programma suum monuit. Ut tibi dixi omnia, cum multis variisque materiis programma nutrit, Ivo providit. Noli timere, mellita mea, hoc mille euronum tuum perbene pignori opposuisti. Hic, in sinu meo, tesseram condo victricem, quoniam equo victori, nomine Dollariorum Factori, numero 4 signato, mille euronos pigneravi tuos.

- Quamvis superstitiosa non sim, nescio tamen quid mihi augurandum sit heri nocte plenilunium fuisse. Di bene vertant quod agas!»

Autocinetum maxima in area stativa hospitibus servata Paulus collocat et, ræda longe ac automaticè electricatim clausa, cum Valeria ad hippodromum progrediuntur. Potuissent nimirum equorum certamen domi televidere, sed, quamquam cælum ac tempestas fœda est, Paulus oculis suis videre vult illum equum sub signo 4 currentem et omnes alios superantem, dum metam primus transit. Numquam præterea repugnandum est tunicam, ut aiunt, udare – quod facilius evenit die pluviosa – ad pecuniam merendam. Per vomitoria ad gradus Valeria et Paulus ascendunt, nam pro ternis euronibus ad podium coopertum accedere et cum summa conditione spectatoribus, qui equorum certamina, dum munditias suas ostendunt, binoculis longivisis spectant, sedere cupierunt. Paulus vero, qui eisdem moribus uti vult, longivisos etiam conducit binoculos. Valeria subridens ei dicit: «Nisi toga forensis et umbella et petasus cylindratus, nihil tibi deest.»

Hodie, sicut sæpissime in hippodromo Vilcennensi fit, equi undecim tolutili gradu concurrunt. Equos autem non equites sed aurigæ agitant, nam in hac

equestris certaminis figura singulus auriga post singulum equum ad sellam currulem iunctum sedet, quem voce et flagello habenisque incitat ut gradu tolutili citius quam potest progrediatur. Spectaculum mirum. Prout equi currunt, in gradibus spectatores prosiliunt et conclamant, quippe qui equum, cui favent, voce et manibus pedibusque incitent. Nimirum Paulus, in equo 4 signato omnem spem ponens, magna voce nomen Dollariorum Factorem proclamat. Bellus vero est ille admissarius, varia cute, gracilibus pedibus, subtili capite, vegetis oculis, cuius auriga sagulum viride et candidum scutulatum et cæruleam galeam gerit. Equi undecim cursu tolutili ac numero aera findunt et equus numero 4 signatus alios paulatim præcurrit. Interim aliquis ex Pauli vicinis mundissime vestitus et magnum sigarum sugens repente iuveni dicit: «Væ tibi! In malum equum pignori opposuisti!

- Ecquid? Quem ad modum tu scias?


- Ego scio. Mihi crede. Equus victor erit is qui numerum II gerit.

- Fieri non potest, certissimo auctore, scio equum numero 4 signatum victurum...

- Fabulas! Equus, tibi dico, II victor erit. Modo aspice! Aspice!»

Revera, sicut iste homo dixit, equus numerum II gerens metam primus transit, quem equi numeris 4 et 9 et 8 signati in ordine sequuntur. Repente Valeria et Paulus, quasi fulmine percussi, omnino afflicti et franguntur, etenim uno curriculo mille euronos perdunt – quo rectius dicam Valeria perdit – at ceterum pro certo ac sine dubio miser Paulus amori Valeriæ valedicere mox poterit.

«Me miserum!» inquit Paulus, «ad summam Ivonis programma non certissimum erat et fallere poterat. Perii!»



Hippodromo relicto, iratissimus Paulus magnis itineribus domum Ivonis advolat.

«Quomodo,» inquit, «Ivo pessime, in ingenium informatici machinatoris tuum credere potui? Iam ego decoctor sum! Valeriæ peculium decoxi! Pignore contendi, certe peridi. Optime! At nihilominus tantum pignus non posuissem, nisi me ita decepisses...

- Non intellego, Paule, non intellego. Doleo. Mihi crede. Ita fallere programma meum non potest.

Namquam fecit. Equi enim nomen victoris præbet, si tantum nonaginta novem certitudinis partes computavit...

- Eheu! Centesima pars incertitudinis mihi exitio

fuit...

- Desine, Paule, queri, nam solum pignus perdidisti.
- Mille euronos plusquam parvum pignus sunt...

Valeriæ peculium omne erat... Perii... Mox imperabit me res meas colligere. Malum!

- Quid tamen mille euronos sunt pro fama mea?

Maior denique calamitas mihi est quam tibi, in errando, nam nomen meum admodum laceratum est. Homo dedecore infamis factus sum. Perii... reliquum est ut mortem voluntariam mihi consciscam. Numquam enim et vicinorum et collegarum contumelias pati potero.»

Paulus tum clamans: «Vide! Vide!» inquit, «Illuc! In televisorium tuum!»

In televisorio repente os diurnarii, qui certamina equorum commentanda curat, apparet. Post eum telespectatores hippodromum Vilcennensem et etiam finem curriculi rursus traditum inspiciunt. Diurnarius tum: «Dominæ et domini,» inquit, «in hippodromum Vilcennensem redeundum est. Ecce pignorum vicissitudines! Felices enim diei, unius horæ potius dicam,

male decident. Fraus aperta est! Patet equum victorem perstimulante veneno celeriore factum esse. Custodes publici confessiones colligunt. Possessor equi victoris, dominus Aristides Comaret, in summa damnosam fraudem agnoscit.» Ille vir, quantum lineamenta eius recordari Paulus potest, idem est atque is vicinus in gradibus hippodromi qui pro certo habebat equum numero II signatum victurum esse. Viro cognito, aures et oculos rursus verbis et ori diurnarii Paulus adhibet. «Ergo,» inquit diurnarius, «equus numerum II gerens de curriculo eiectus est, inde novus victor est equus numero 4, nomine Dollariorum Factor.

- Laute! Euge! Laudo! Ivo, mi Ivo... Optimus omnium informaticorum machinatorum es! Noveram! Equus 4 vicit! Victor est! Numquam tibi diffisus sum.

- Hem, hem... Paule mi, sine me de verbis tuis dubitare. Utique, confiteor, admodum stultus fui. Programma autem meum nihil nisi illusio est, nam illud unum providere nequit: fraudem.» ☞

DE I° CONVENTU LATINITATIS VIVÆ HISPALENSIS

Salvete omnes, discipuli et magistri colendissimi et Latinitatis cultores. Idibus Martiis conventus de lingua Latina Hispali Latine habendus institutus est, quem vobis commendare gestimus, cuique consociatio Fluminis Litterarum una cum Universitate studiorum Hispalensi ac Societate Hispanica Studiorum Classicorum favent.

Conventus vel potius acroasis interretialis non modo ætatis classicæ, sed etiam ætatis, quæ dicitur, mediæ atque humanisticæ auctores complectitur, quod libertatem orationes commentandi relationesve scribendi oratoribus certe dabit.

Cum per rete omnium – ut aiunt – gentium celebretur, convenire in locum præparatum minime opus est, tantummodo a vobis petimus ut ad huius acroasis moderatorem orationem in pelliculæ modum vel ad auscultandum in plica sonigera, quæ Latine habebitur, per inscriptionem electronicam raulnavarro@us.es vel in disco compacto (CD) per tabellarium tradatis, posteaque hac in sede interretiali, per eas quæ «iVoox» et «Youtube» dicuntur, vias divulgabimus. Una cum inci-

sione humaniter rogamus, ut summarium perbreve orationis oratorisque photographema mittantur. Demum huius conventus testimonium scriptum dabitur et præconium in sede interretiali exponetur.

Dicendum est denique, ut ad orationes, quæ iam exhibentur, redeamus (nam gradatim divulgabuntur ideoque quædam iam præsto sunt), de diversis rebus agi omnesque interretialiter auscultari posse in nexu, quod est:

<https://lumenlitterarum.org.es/>

In quibus orationibus, magno honori nobis fuit colloquium in Universitate studiorum Murciana Hispanice habitum cum Michaelē ab Albrecht, viro humanissimo atque eruditissimo, in Latinum convertere idque alternis vocibus recitare etiamque orationem luculentissimam ab ipso magistro ab Albrecht de Georgio Aloisio Borges conscriptam, quam iam simul cum ceteris auscultare licet. Orationes enim usque ad diem 31 mensis Decembris anni currentis 2017 admittentur.

RADULFUS NAVARRO ESPAÑA

IN MEMORIAM (II)

– scripsit Gaius Licoppe –

RENATVS FOHALLE

Renatus Fohalle,¹ professor rude donatus Universitatis Leodiensis (*Liège* in Belgica), non fuit re vera fautor Latinitatis Vivæ nec locus in hac symbola haberet, nisi anno 1956 Avennione participavisset primum Conventum Latinitatis Vivæ.

Ille grandævus vir, anno 1899 natus, corpore caduco et infirmo, baculo nitens, difficulter ambulabat, attamen, cum anno 1984 comperisset seminarium Latinitatis vivæ ad litus Belgicum habitum iri, id participare statuit; quid enim esset hic longinquus effectus Conventus Avennionensis, magna curiositate videre cupiebat. Paucis septimanis post vita functus erat.

Renatus Fohalle, etsi philologus classicus, præsertim incubuit in linguisticam linguarum Indo-europæarum et professor linguisticæ generalis factus est in Universitate Leodiensi. Linguae Latinæ tamen semper servavit amorem, etiam linguae vivæ, nam ad filias suas, cum longe abessent, solebat chartulas Latine scriptas mittere.

Anno 1956 professor Fohalle est Decanus Facultatis Philosophiæ et Litterarum in Universitate Leodiensi, cum ad Avennionensem Conventum participandum mittitur a re publica Belgica. Orationem «De difficultatibus pædagogicis in lingua Latina vivo modo docenda» Francogallice habet in fine Conventus; eius verba plane monstrant quanta distantia intersit inter propositum Præsidis, ingeniarii Iohannis Capelle, et orbem philologorum academicorum; hic enim vult in usum, præsertim scientificorum, linguam Latinam reducere, sed quam maxime simplicem, alteri volunt institutionem analyticam servare, quæ ducat ad lectionem auctorum antiquorum ac discipulorum mentes optime format ad cogitandum.

Dicit enim sub finem orationis fere hæc: «Si mox tantum intendemus ut linguam Latinam provehamus usualem et ergo simpliciore factam, desistemusne ab institutionis Latinæ præcipua ratione? An creare volumus duo institutionis genera? (...) Valde timeo ne lingua Latina ut sermo cottidianus tradita non sufficiat ut discipulus sucum antiquorum scriptorum extrahere possit.»

Hæc verba plane annuntiant futuram conflictionem inter Latinitatem vivam et propositum philologorum academicorum; compromissum numquam factum est inter has duas vias et effectum, quem prænuntiaverat Capelle, hodie videmus: institutio linguae Latinæ, ubi adhuc superest, tam tenuis facta est, ut discipuli certe sucum antiquorum auctorum gustare non possint!

IANVS NOVAK, MVSICVS ET POETA LATINVS

Ianum Novak semel vidi, non dicam conveni, inter Academiæ Latinæ Conventum Internationalem anno 1981 Augustæ Treverorum (*Trier* in Germania) habitum.

Cum clarus ille Latinitatis vivæ fautor exeunte anno 1984 vita functus est, Professorem Valahfridum Stroh, eius optimum amicum, rogavi ut de eo aliquid conscriberet in *Melissa* divulgandum. Hæc fuerunt eius verba, quæ non possum non citare:²

«Carminibus confide bonis: iacet ecce Tibullus! sic olim Ovidius in funere poetæ optimi cecinit, sic nos quoque, cum Iani Novak musici Moravi mortem deflemus. Quantum in illo perdiderimus omnes, qui Latinas musas ac litteras amamus, verbis dici vix potest. Neque enim omnibus sæculis hominem musicum fuisse credo qui tam fideliter Latinas litteras coluerit quam hic Ianus.

«Idque sua sponte fecisse videtur neque Latinitatis amorem magistris debuisse. Vitam eius brevissime percurramus. Natus est A.D. 1921 in viculo quodam (*Nova Rise*) Bohemoslovariæ vel (ut accuratius dicam) Moraviæ. Præceptores musicos frequentabat et in patria et in America, ubi inter discipulos et Aaronis Copland et Bohuslavi Martinu civis sui erat. Reversus in Moraviam mox magnam gloriam meruit et a civibus suis huius sæculi musicis optimis adnumerabatur. Uxorem, quam duxerat, et filias, quas genuerat, operum suorum fructu facile sustentabat. Tunc, cum fere triginta quinque annos natus esset, Latinas Musas, quas in schola obiter tetigerat, melius cognoscere et intellegere cœpit. Scilicet tenuit virum musicum ars illa metrica, quam sumptam a Græcis Romani poetæ suæ linguae accommodaverunt. Hæc, inquam, ars metrica eum sibi adstrinxit tamquam vinculis magicis neque umquam dimisit. Tunc cœpit Latine cum amicis confabulari, tunc ipse carmina scribere: duo volumina poematum confecit et edidit. Et quam dulcia sunt ac iucunda! Nihil umquam scripsit Ianus, quod langueret: omnia suci plena ac vigoris.

«Sed de maioribus dicendum est. Eo tempore, i.e. exeunte decennio sexto huius sæculi [sc. vicesimi], Ianus artem quoque musicam suam Latinis Camenis servire voluit. Enumerare non licet hic omnia carmina Latina, quæ iam tunc suis modis instruxit. Duo opera tantum nominabo, quæ ipsi mihi notiora exstiterunt. In *Passere* Catulli, quem cantori bassæ vocis et organis compluribus destinavit, artem Schoenbergianam vel dodecaphonicam adhibuit ut tamquam per iocum aviculæ vitam et mortem describeret. Vix credibile est, quam iucunde hæc sonent, cum ars illa duodecim



Ianus Novak (ad dextram) una cum Valabfrido Stroh
(www.jannovak.eu)

sonorum interdum aridior videatur ac siccior. Etiam pulchrior est Dido, quam symphoniacis, recitatori mediæque vocis cantrici concinendam scripsit. Hoc opus nuper Raphael Kubelik tænia excepit sæpiusque per ætherem emittendum curavit: quin etiam proximo anno Didonem edet Neo-Eboraci. Non mirum est eum tanti facere hoc opus; eo enim Ianus vim atque gravitatem amoris, quam Vergilius verbis descriperat, arte melica mirifice expressit.

«Venimus ad tristiora. Oderat Ianus semper sectatores disciplinæ vel tyrannidis communisticæ. Eam ob causam valde arrisit illi ver illud Pragense, quod dicitur, cum civibus maior data libertas videretur. Hoc igitur cum A.D. 1968 cataphractis hostium obtritum esset, in patria diutius manere non voluit nec potuit. Migravit Ianus cum suis; ac primum in Daniam, deinde in Italiam venit. Civitatem quoque Italicam ibi obtinuit (eaque in terra nunc cineres eius, ut ipse iusserat, compositi sunt). Denique victus causa A.D. 1977 migravit in Germaniam sedemque Novæ Ulmæ collocavit. Ibi opera atque auxilio Elissæ uxoris, quæ miro ei amore iuncta erat, factum est, ut studiis Latinis et musicis vacare potuerit: nata sunt opera plurima, quibus ille Latinum sermonem, quem mortuum dicunt, ad vitam revocavit. Veterum poetarum nobilissimos tractavit: non solum Catullum, Vergilium, Horatium (quem maxime adamaverat), sed etiam Tibullum, Sulpiciam, Senecam tragicum, alios. Quid quod etiam scriptores prosæ orationis modis musicis dignos credit? Apici præcepta culinaria, Ciceronis in Catilinam invectivam, Senecæ de Claudio ludum iucundissimis cantibus ornavit. Nec constitit in temporibus antiquis, sed Musa eius longius egressa omne medium ævum, omnia recentiora sæcula percurrit. Quot poetas iniuria temporum tamquam tenebris obrutos inde protraxit et suis illustravit modis! Et quam acute de poetarum ingeniis iudicabat! Elegantissimum quemque semper plurimi fecit, ut inter novissimos Iosephum Eberle et C. Arrium Nurum, vates tam ingeniosos. Summum autem opus Iani videtur esse fabula musica (*Dulcitius* nomine), qua drama Hrosvithæ Gandershemensis, principis illius poetriæ Germanæ, scænæ accommodavit. Quibus operibus multa addere ei in animo erat: velut Plautum et Senecam in theatra musica revocare voluit,

renovare veterem artem pantomimicam. Harum omnium spem rerum die 17 m. Nov. A.D. 1984 Mors importuna sustulit.

«Quid in arte Iani præcipuum fuerit, quæritis? Hoc facile exponi potest. Nam sciunt omnes fere pueri Latinas syllabas aut longas esse aut breves. Quod, quamquam discitur in scholis, a viris musicis tamen pæne ignorari videtur. Ii enim in modis componendis aut accentus naturales aut ictus quos dicunt metricos sequuntur; ipsas autem syllabarum dimensiones, in quibus est fundamentum metricæ, minime curant. Ianus contra, purarum aurium homo, in naturam syllabarum et metrorum cum diligentissime inquisivisset, sic sua cantica temperavit, ut omnis veterum numerorum vis tamquam a mortuis suscitaretur. Id quod maxime cognosci poterit e novo libello, qui mox in publicum ex ædibus Artemidis Monacensis prodibit. Is continebit quinquaginta *Cantica Latina* – is est etiam titulus libri –, quæ diversis numeris et sæculis scripta, omnem varietatem artis metricæ exhibebunt. Hoc libro utemur, cum cantabimus in Ludis Latinis Augustanis, qui magna ex parte memoriæ Iani Novak dicati erunt. Nam is Ludorum Latinorum, quos primus excogitavit, tamquam pater ac patronus est.

«Dixi de arte musica Iani. Nam de eius vita ac moribus dicere sine lacrimis non possum. Quis unquam humanior, comior, urbanior fuit? Quis amicus certior, fidelior? Ego certe quod hunc virum novisse, quod hoc amico uti licuit, inter optima Fortunæ dona numero. Cuius ego corpus cum cremaretur hisce versiculis allocutus sum:

Iane, vale dulcis; neque erit tibi terra molesta.
Nam superest melior pars tua: Iane, vale.»

Hæc Valahfridi Stroh verba, in *Melissæ* fasciculo 5 (1985) divulgata, sequebantur duo parva exempla carminum Latinorum Iani Novak. Primum est vere iucundum et ludibundum:

Bau bau
sum canis
quid stupes?
quin tibi dico: sum canis
habeo caudam et demissas aures
etiam latro
sum canis sed haudquaquam latro
ne me male intellexeris
ego quidem latro sed non sum latro
sum canis
latrones non latrant
sunt homines et homines latrare non solent

homines non latrant sed homines sunt latrones
 et utuntur latrinis!
 Minime ego
 homines utuntur latrinis et ferro
 ego miliaria præfero et ossa
 quidni præferam?
 non sum homo
 sum canis
 et latro
 bau bau.

Alterum exemplum est pars carminis tragici c.t.
Furens Tympanotriba, hendecasyllabis exarati, quod
 magna laude in Certamine Hoeffftiano anni 1970
 honestatum est. Hic depingitur nox illa mensis
 Augusti, qua Russi Bohemoslovaciam invaserunt, ut
 Ver Pragense, quod vocatum est, vi opprimerent:

Factum est ecce diem ante ter quaternum
 Septembres – niger est dies – Kalendas:
 ut fures bene nocte se tegentes
 cum satellitibus suis in armis
 turba barbara turpis et ferox et
 sæva sordida militum rubrorum
 invasit patriam meam quietam,
 abundant ubi aquis amœna prata,
 veris flos ubi floret atque vernat,
 in saxis ubi pinus et susurrat,
 terram mellifluam diisque gratam,
 invasit spoliavit occupavit. ☞

1. *Melissa* n. 3 (1984) et Acta Primi Conventus Latinitatis Vivæ Avennionie
 habiti (1956).

2. *Melissa* n. 5 (1985).

DE BVLGARICO CERTAMINE COMPOSITIONIS

– refert *Demetrius Dragnev* –

Lectores *Melissæ* procul dubio recordantur anno præ-
 terito in Bulgaria habitum esse primum Certamen
 compositionis Latinæ studiosis universitariis necnon
 discipulis destinatum. Hoc anno Certamen iterum sub
 auspiciis Universitatis studiorum Serdicensis et Lycei
 Classici a Constantino Cyrillo Philosopho nominati est
 habitum. Septem fuerunt participes, non tantum
 Bulgari, sed e Belgica terra quoque. Licet eos nomina-
 re: Clementia Dehareng et Carolus Roger (discipuli
 Scholæ Novæ), Guillelmus Delmeule, Leontina Maes,
 Doriana Moenaert (discipuli Universitatis Neolova-
 niensis), dein Romyana Pavlova (discipula Lycei
 Classici supra nominati) et Diana Zulcheva (discipula
 Universitatis studiorum Serdicensis). Omnes textus
 iudicibus Milenæ Minkova, Vladimiro Athanasov,
 Demetrio Dragnev multum placuerunt præmiisque
 honestati sunt. Ante omnes tamen DIANA ZULCHEVA
 iterum victrix evasit. Ceterum Diana hoc anno tertium
 præmium carmine suo in Certamine Latino Salesiano
 obtinuit. Ecce autem scriptum, quod in Certamine
 Bulgarico proposuit.

PASSER ET HIRVNDIO

In vico quodam parvo habitabant olim passer et
 hirundo. Passer numquam procul a domo errabat sed

cum aliis passeribus die grana quærebat in herba noc-
 tuque totum agmen passerum in surculis fruticis
 humilis congregabatur. Hirundo autem supra campos et
 silvas nemine comitante cottidie volabat bestiolas ro-
 stro capiens et inter ramos arborum altarum dormiebat.
 Meridie in umbra salicum apud ripam rivi virentium
 passer et hirundo considebant ubi hirundo de cervis
 qui inter colles vagantur narrabat et de carminibus
 avium montes prope vicum incolentium. Hæc omnia
 mirabatur passer qui raro a viculo et a casis agricola-
 rum discedebat. Is qualis vita passerum esset explicabat
 et de filio sutoris dicebat qui nonnumquam frusta
 panis eis dabat. Hirundo autem verba amici qui sæpe
 de eisdem rebus loquebatur non attente auscultabat.
 Nolebat enim de viculo parvo audire sed de civitatibus
 longinquis cogitabat quas petere cupiebat.

Iam hiems appropinquabat et quodam die mensis
 Septembris conata est hirundo passeri persuadere ut
 iter ad terras australes secum faceret:

«Mox hiems adveniet et ego una cum omnibus che-
 lidonibus alias ad terras abibo. Veni nobiscum et tibi
 monstrabo Oceanum ingentem et Africæ deserta lata.»

«Non tam fortis sum quam tu es et me alas sustine-
 re non poterunt supra maria. Passeres numquam itinera
 magna facimus.»

«Bene, hic hære, si ita vis, ego quidem citissime
 omnium avium Africam petam.» Hirundo respondit et

alis tentis celeriter evolavit.

Itaque passer domi mansit et hieme confecta hirundo ad eum revenit ut de pyramidibus et de sphingibus Ægypti narraret. Ipse nidum suum nuper exstructum amicæ monstravit et pullos quattuor. Nihil ea ad hoc dixit quod non magnam operam sibi videbatur postulare nidum tam parvum ædificare.

Una igitur ver degerunt et ineunte autumno hirundo iterum se abituram constituit:

«Mox rursus hiems aderit et ego hanc civitatem relinquam. Veni mecum et nulla frigora pateris nullaque feles te sæva rapiet.»

«Non tam solutus sum curis quam tu es et timeo ne auxilio careant alii passeret. Non solemus ab agmine nostro errare.» Passer respondit.

«Bene, valeas igitur. Equidem prima inter omnes aves aliam in terram perveniam.» Sic dixit hirundo et de vico profecta est.

Proximo vere hirundo in patriam reversa amicum quærebat. Eum nancta tandem est inter flores horti cuiusdam dormientem. Cautè igitur ei appropinquavit admodum mirans passerem industrium die otuari.

«Quid cessas?» dixit «Num male te habes?»

Responsum nullum audivit et iam se ad volatum parabat cum vidit complures passeret supra hortum circumvolare quorum alii grana portabant alii folia humida arborum. Unusquisque dein grana iacenti præbuit et guttas aquæ super folia portatas. Quidam eorum hirundinem certiore fecit passerem ægrotare sed nihil timendum esse quod omnes amicum assiduam curarent eumque a bestiis feris attente defenderent. Hirundo talem amicitiam admirata die sequenti iterum avem ægrotantem invisit sed mox eius oblita est supra lacus et prata volans. Mense autem Septembri ad passerem iam sanum adivit.

«Ecce duas hiemes supervimus.» Eum allocuta est. «Et nunc tertia accedit. Ipsa terram nostram deseram et procul hinc menses agam brumales. Veni mecum et numquam cibo egebis.»

«Non talis sum viator qualis tu es. Quemque rivum, quamque arborem in vico amo sodalesque diligo. Non solemus patriam relinquere.»

«Bene.» Hirundo respondit. «Hic hiema, si vis, ego autem civitatem longinquam omnium avium ignotam quæram.» Et profecta est.

Post longum iter Indiam attigit quam nulla alia hirundo Europæa umquam viderat. Non dolebat se solam huc volare debuisse – immo, gaudebat se postea omnia ceteris avibus enarraturam. Mense Aprili se ad reditum paravit – pennas in vadis Gangis lavit et in sole diu iacuit. Postea languide surrexit et domum petivit.

Iter diu duravit nec quisquam qui eam solam volantem adiuveret aderat. Mox fessa se ad civitatem suam appropinquare vidit et lentius volare cœpit. Deficiebant enim eam iam vires. Subito autem aquila



maxima de nubibus descendit et parvam contendit capere hirundinem. Hæc misera feram aufugere cupiebat sed se inter alias aves occultari nequibat quod nemo in cælo sereno aderat alasque vix movere poterat. Rapuit igitur aviculam aquila multasque horas eam unguibus portavit. Sine dubio mortua esset hirundo nisi aquila corpus eius forte demississet. Cecidit ergo ad terram et humi vulnerata iacebat.

Sic dies transivit et per totam noctem de aliis avibus hirundo cogitavit quæ iam pridem domum una reverterant. Mane aliquem accedere audivit et admodum timuit ne feles se videret esuriens. Non autem feles per gramen ambulabat sed amicam quærens passer. Sequebatur eum grex passerum qui mox ægram in nidum mollem tulit quasi ipsa pars gregis fuisset. Ibi eam non paucos menses curaverunt bestiolas ei ferentes et aquam pluviam.

Totum ver totamque æstatem hirundo intus degit et neque lucem solis videre poterat neque alas ægrotantes explicare. Sensit tandem se bene valere mense Novembri et caput e nido attollens terram aspexit. Iam nivem viculum et omnes campos operire vidit geluque rivos velare perspicuum.

«Quid terram tegit?» Hirundo passerem rogavit.

«Nix est. Nonne in itineribus tuis vidisti?»

«Minime. Neque in Africa neque in India nix est. At quam nitide splendet! Et quid hi passeret agunt?»

«Cibum colligunt ut ad te ferant. Nonne umquam te aliæ hirundines adiuverunt?»

«Minime. Sola plerumque volavi. At quam probi sunt omnes! Et quid de illis avibus qui supra nos circumvolant?»

«Virgas quærunut ut nidos ædificent. Nonne umquam nidum extruxisti?»

«Minime. Numquam conata sum. At quam industrie laborant!»

«Ita est. Multa quaque hieme hic manentibus curanda sunt. Sed non displicet nobis frigora maxima ferre et in vico versari quod omnia mirum in modum tempore hiemali mutantur. Ceterum valentne iam alæ? Debebis diu volare si terras australes iterum petiveris. Iam sero est sed sine dubio et nunc profecta ad tempus pervenire poteris.»

Hirundo autem hæc non audivit. E nido evolaverat ut attentius gelu candidum inspiceret et pyramidum oblita supra nivea prata una cum passeribus volabat ramulos ad nidos colligens. ☞

DE MICHAELA [MICHÈLE] BLANCHARD LEMÉE

– scripsit Daniel Blanchard –

Die octavo mensis Augusti anni 2017 obiit Michaela Blanchard Lemée, mater mea, ætate octoginta annorum. Conscripta oratione academica De regione centrali oppidi Romani Cuiculis (hodie: *Djemila*, in Algeria) magistro Paulo Alberto Fevrier, archæologæ officio functa est in Centro Nationali Indagationis Scientificæ (CNRS). Acroases multas in libellis scientificis divulgavit de musivis Galliæ, Africæque septentrionalis. Opera eius omnia enumerare non valebo; inter alia, Augustoduni ad lucem restituit musivum, quo philosophus Metrodorus effigiatur, (necnon Epicurus et poeta Anacreon), cum inscriptione Græca (imago hic iuxta). Auxiliante patre meo, qui philologiam Græcam proficitur, symbolas varias de invento opere scripsit.¹ Cum collegis Corpus Operum Musivorum Galliæ edidit.² In Africa Romana (hodie: Tunesia et Algeria) non desunt vestigia villarum urbiumve, ubi abundant opera musiva, de quibus, præter multas acroases scientificas, perpulchrum librum apud Typographiam Nationalem divulgavit.³ Docuit artem suam discipulos nonnullos, qui hodie rebus Romanis student, non solum in Galliæ academiis, sed etiam Africæ, quam terram sæpe visitavit, dilexitque. Omnes, qui eam noverunt, vel etiam quibus cordi est archæologia Romana, mecum mortem eius condolebunt. ☞

1. «La mosaïque des Auteurs grecs d'Autun: texte et image», in: *Image - Texte - Archéologie. Table Ronde SAKA-ASAC 8 novembre 2008, Laténium, Hauterive/Neuchâtel* = *Bulletin* 2009 de l'Association Suisse d'Archéologie Classique, p. 16-25 (cum Alano [Alain] Blanchard).

2. *Recueil général des mosaïques de la Gaule, II, Province de Lyonnaise, 2. Région sud-est* (cum H. Stern pro musivis mediævalibus), Parisiis, CNRS, 1975, 149 p. in-4°.

Recueil général des mosaïques de la Gaule, II, Province de Lyonnaise, 4. Partie occidentale, cités des Carnutes, Turons, Andécaves, Cénomans, Diablintes, Namnètes (cum X. Barral pro musivis mediævalibus), Parisiis, CNRS, 1990, 151 p. in-4°.

3. *Sols de l'Afrique romaine. Mosaïques de Tunisie*, Paris, Imprimerie Nationale, 1995, 297 p. magnus in-4°, 219 (cum M. Ennaïffer, H. et L. Slim, photographemata G. Mermet). Editio altera anno 1995, Tuneti apud Cérès: *Sols de la Tunisie Romaine* et, anno 1996, Novi Eboraci apud G. Braziller.



*Opus musivum
philosophi Metrodori*

ERRATVM

In symbola «Adam, quis es?» in fasciculo 199 divulgata insertus est error. Pagina enim 8, linea 6, legitur «[calvarium] loco *Piltown*». Hoc calvarium ibi citatum est inter ea de *Sierra d'Atapuerca* et *Caune de l'Arago*. Tollendum tamen est, cum in posteriore dimidia parte vicesimi sæculi demonstratum sit duas reliquiarum partes, hemimandibulam scilicet et ipsum calvarium, ad eundem hominem non pertinere; hemimandibula est simii Orang-Utang et calvarium hominis mediævalis. Hæ reliquiæ artificiose sciteque tractatæ sunt, ut antiquissimum aspectum præberent. Quidam palæoanthropologiæ certe peritus hoc iocose paravit, sed quis fuerit iste cavillator, adhuc quæritur. Inter suspectos citati sunt Petrus Teilhard de Chardin et Arthurus Conan Doyle! Gratias ago Brenno Bishop, attentissimo lectori, qui me de hac incongruentia monuit. G.L.

BIBLIOTHECA LATINA
DE NOVIS LIBRIS

Juan Manuel Blanch Nougues, *Locuciones latinas y razonamiento juridico. Una revisión a la luz del derecho romano y del derecho actual. Pro iure romano et lingua latina*. Editorial Dykinson, S.L. Madrid, 2017. ISBN 978-84-9148-068-6 (refert Tuomo PEKKANEN)

J. M. Blanch Nougues, professor iuris Romani in Matritensi Universitate CEU San Pablo, est strenuus vivæ Latinitatis propugnator et fautor, qui vel eo apud latinistas notus est, quod Conventum X Academiæ Latinitati Fovendæ in universitate sua anno 2002 instituit.

In prologo auctor rationes iuridicas et methodos adhibitas nec non studia priora ad materiam spectantia et fontes litterarios explicat. Sequitur compendium de historia, de fontibus iuris Romani atque de eius in Europa receptione, denique brevis relatio modi civilis procedendi. In primo indice (pp. X-XII) locutiones Latinæ plus sescentæ in ordine alphabetico enumerantur. In parte principali (pp. 83-752) huius magni operis, quem maturum fructum longissimi laboris facile intellegas, locutiones iuridicæ earumque rationes in luce

iuris Romani et iuris hodierni adiuncta versione Hispanica tractantur. De singulis dantur significatus et contextus secundum fontes tam antiquos quam mediævales et actuales. Opus claudunt indices operum citatorum, fontium, nominum, vocabulorum et expressionum usitatissimarum.

Sunt in locutionibus tractatis complures satis notæ (e.g. *alterum non lædere, captatio benevolentia, in articulo mortis, ius suffragii, probatio diabolica, voluntas defuncti*) sed pleræque (ut: *lucrum cessans, pretium affectionis, purgatio moræ, turbatio sanguinis*) sine explicatione iuridica, quam auctor præbet, a laicis vix recte intelleguntur. Opus, quod etiam lexicon Latinum linguæ iuridicæ haberi possit, omnibus latinistis est utile, etiam eis, qui Hispanice parum sciunt.

VI. KRAVTCHEVSKO, *Ouniversal'ny spravotchnik po grammatike latinskogo iazyka. Enchiridion universale in grammatica Latina*, Moskva, Flinta/Naouka, 2015, 356 c. ISBN 978-5-9765-1979-4; 978-5-02-038604-4 (refert Alexius SLEDNIKOV)

Hæc est altera editio emendata paulumque aucta eius libri, qui anno 2007^o prima vice in lucem prodiiit. Cuius auctor Valdemarus (sive, sequamur Carolum Egger Abbatem, Vladimirus)¹ Kravczenko Russus Taganrogensis, cum Latinitati vivæ faveret,² suum usum Latinitatis amorem huic quoque operi imposuit.

Ceterum permultis linguæ Latinæ libris institutorum desunt nobis grammaticæ Latinæ institutiones. Quarum notissimæ pervagatissimæque sunt illæ Sergii Sobolevski (1864-1963) Russorum utriusque linguæ grammaticorum patriarchæ, qui se in libro componendo scripta imprimis Ciceroniana ac Cæsariana respexisse declarat.³ Revera «hi duo auctores, – inquit P. Cælestis Eichenseer, – quoad grammaticam Latinam certe sunt exemplares... Sed lingua (quidnam hoc tradatur aliud, nisi grammatica linguæ? – A.S.) non solum ex operibus duorum scriptorum ... constat, ... ex scriptis ... Marci Tullii Ciceronis et Gaii Iulii Cæsaris».⁴ Hæc discrepantia quodammodo solvitur grammatica

recensenda, laudatis pluribus auctoribus; inter eos enim optimos, qui dicuntur, et vetustiores (Plautus, Ennius, Terentius) occurrunt et seriores (Petronius, Ausonius, Augustinus, Boetius, Macrobius), deinde quidam mediævales (Biblia Sacra Vulgatæ Editionis, Gregorius Turonensis), tum Franciscus Petrarca qui et primus humanitatis studiosus, denique Benedictus Spinosa scriptor recentior. Unde patet Latinam (ita Christianus Laes) esse «linguam cultus civilis, vinculum inter gentes.»⁵ Iam veniunt in mentem etiam illa «Elementa linguæ et grammaticæ Latinæ»,⁶ quibus traditio grammaticæ classicæ historia Latinitatis christianæ (plerumque autem mediævalis et recentioris) atque huius ætatis suppleatur.

Ab summo, ut pergam, libri initio animadvertitur dispositio rerum alphabetica, fortasse non nimis assuetata, sed ad usum meo quidem sensu idonea. Omnia capita inscribuntur Russice et Latine. Res autem quæ tractantur ad phoneticam, morphologiam, verborum

derivationem, syntaxim eloquentiamque pertinent et nonnullæ quidem quæ insunt aliis libris nostratibus vix continentur, ex. gr.: verba impersonalia (pp. 8-10); propositiones impersonales (pp. 10-13), interrogativæ (pp. 25-27), exclamativæ (pp. 27-29); interpunctio (p. 41); rationes mathematicorum (p. 59); interiectiones (pp. 60-62); mutuuum (veluti: Amamus *inter nos*; Accidit, ut *alter alterum* necopinato videremus (C.), pp. 17-18); compositio verborum (p. 218); rectio præpositionum, adiectivorum et verborum (pp. 272-284); quomodo propositum agendi exprimi possit (pp. 284-285); particulæ (p. 286) etc.

Placet sane, quod multum loci casus conditionesque temporum adhibendorum (sive temporum syntaxis) occupant, quæ normæ ceteris libris nostratibus sæpe neglegantur. Porro variæ respiciuntur constructiones synonymicæ, quibus idem diverse exprimitur. Ecce exemplum supini in *-um*, cui finitimi aut propositiones subiunctæ finales atque relativæ, aut accusativus atque genetivus gerundii, aut participium futuri activi (p. 260). Similiter etiam de supino in *-u* (p. 261), propositionibus subiunctis obiectivis (p. 151), modo imperativo (p. 134) eiusdemque forma negativa (p. 135), futuro primo indicativi (p. 15) agitur. Talia non solum ad scripta Latina in sermones patrios convertenda, verum etiam multum ad Latine loquendum scribendumque prosunt.

Exempla autem exhibita, quibus quæpiam grammaticalia illustrantur, sermonem haud pauca redolent cottidianum, veluti: Me tædet audire (*Ter.*), p. 11; Quando ego te videbo? (*Pl.*), p. 15; Romam cum venero, quæ perspexero, scribam ad te (C.), p. 17; Quis musicam docuit Epaminondam? (*Nep.*), p. 19; Cato Valerium Flaccum habuit collegam (*Nep.*), p. 20; Sex horas dormire sat est iuvenique senique (C.), p. 21; Quis homo est? (*Ter.*), p. 25; Ubi habitas? (*Pl.*), p. 25; Unde incipiam? (C.), p. 26; Etiam rogas? (*Pl.*), p. 27; Hodie uxorem ducis? (*Ter.*), p. 27; Iam desine! (*Ter.*), p. 28; Hui, tardus est! (*Ter.*), p. 28; Eia, quid statis! (*H.*), p. 29; Nisi quid habes ad hæc (C.), p. 39; O mi Cicero... gratulor tibi (C.), p. 41; Tempus est iam hinc abire me (C.), p. 48; Hui, tam cito? (*Ter.*), p. 61; Age, novi tuum animum! (*Ter.*), p. 61; Pax, abi! (*Pl.*), p. 62; Nequeo, quin fleam (*Pl.*), p. 67; Licetne pauca? (*Ter.*), p. 68; Amabo, adiuva me (*Ter.*), p. 71; Quid tua id refert? (*Ter.*), p. 71; Velim mihi ignoscas (C.), p. 71; Te hilari animo esse valde me iuvat (C.), p. 72; Nec sibi, nec alteri (C.), p. 123; Mihi desunt verba/vires (Cs.), p. 124; Manus lava et cena (C.), p. 128; Noli me tangere (*Vlg.*), p. 129; Ne sis admiratus! (C.), p. 130; Fremant omnes licet, dicam quod sentio (C.), p. 165; Heri Athenis

Ephesum adveni vesperi (*Pl.*), p. 190; Conon plurimum Cypri vixit (*Nep.*), p. 202; Quis putaret? (C.), p. 241; Faciam hoc ac lubens (*Ter.*), p. 243; Modo ait, modo negat (*Ter.*), p. 244; Tum Græce tum Latine (C.), p. 244; Ecce me (*Pl.*), p. 286.

Ut veniam tandem ad menda typographica, tractato gerundivo et gerundio syllabæ pænultima positione falso ubique indicantur: sanāndus – vidēndus – faciēndus – audiēndus (p. 30); sanāndi – sanāndo – ad sanāndum – sanāndo (p. 32). Præterea nonnumquam formæ occurrunt quædam corruptæ: Valde mirror te ad me nihil scribere (C.), p. 48; Quanti orza empta est? – Parvo (*H.*), p. 116; Tempus et necessitasque postulat (C.), p. 230. Quod vero attinet ad sententiam Ciceronianam,⁷ quæ est Heu me miseram! (p. 22), non oppugnarem formam adiectivi femininam, nisi Russice improviso emergisset masculinum. Similiter et hæc Vergiliana: Quamvis ingenio non valet, arte valet (p. 165) personam tertiam pro prima mutavit.

Sed talibus similibusque, cum insunt perpauca, neque bonitas libri neque religio auctoris minuitur, itaque hoc equidem opus ingeniose et diligenter confectum omnibus linguæ Latinæ amicis ex animo ad usum commendo. ☺

1. C. Egger, *Lexicon nominum virorum mulierumque* (Romæ 1963), 252-253.

2. Memorentur oportet eius ad P.rem Cælestem Eichenseer epistula quædam (in: *Vox Latina* 37 (2001) 612), Alexandri Puschkin «Je vous aimais» latinizatum (in: *Ibid.* 455) et Nicolai Fedorov (1925-2016) Russorum ducis linguæ Latinæ laudatio (in: *Ibid.* 52 (2016) 617-620).

3. S.I. Sobolevskii, *Grammatika latinskogo iazyka. Teoreticheskaia tchast': Morfologua i sintaksis* (Moskva 2003) 3.

4. C. Eichenseer, «De usu linguæ Latinæ diligenter perquirendo convenienterque restaurando», in: Idem, *Collectanea usui linguæ Latinæ dicata* (Saraviponti 1999) 3.

5. Chr. Laes, «De hodierno Latinitatis vivæ statu sive de dissensione evitanda», in: *Melissa* 178 (2014) 3.

6. C. Pavanetto, *Elementa linguæ et grammaticæ Latinæ* (Romæ 2009).

7. Eadem etiam apud Plautum (*Aul.* 721; *Merc.* 624) et Terentium (*Andr.* 646; *Phorm.* 187) testificata est.

In hoc fasciculo !

- CC [G. Licoppe] p. 1
De Europæ Latinæ conventiculo Viterbiensi [A. Antonioni] p. 3
Nexus causarum [J.F. Arnoud] p. 5
De primo conventu Latinitatis vivæ Hispalensi [R. Navarro España] p. 9
In memoriam (II) [G. Licoppe] p. 10
De Bulgarico certamine compositionis [D. Dragnev] p. 12
De Michaela [Michèle] Blanchard Lemée [D. Blanchard] p. 14
Bibliotheca Latina p. 15

*Imago tegumenti: Apis, Melissæ insigne, re vera est signum hieroglyphicum,
quo designatur regia potestas inferioris Ægypti.*

CIRCVLVS LATINVS BRUXELLENSIS

vos invitat

ad sessiones sexies in anno participandas, inter quas
sodales solent:

- iucunde sermocinari, Latine tantum;
- argumentum quoddam disputationis diversimode tractare;
- textus una legere et explicare;
- Titini fabulas nubeculatas describere et in Latinum vertere.

Qui plura scire cupiunt, sive scribant ad nos sive
sedem interretialem consulant:

g.licoppe@skynet.be
www.fundatiomelissa.org

MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.

Pretium annuæ subnotationis : 20 eur. / 25 \$

BNP Paribas Fortis :

BIC : GEBABEBB, IBAN : BE13 0016 2871 1539



MELISSA